



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 111. Oppugnatio extrema Urbis Constantinopolitanæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. omnes castræ stationes ac militum ordi-
A.C. 1453. nes obibat, si quid deesset, in tempore
 provisurus; denique, cum Turcas jamjam
 castra movere, ac ad pugnam accingi
 cognosceret, ipse stricto gladio ad muri
 ruinas se locavit, hostem excepturus.
 Sultanus vero medius inter decem Ja-
 nissarorum millia generoso vectus equo
 centena millia Equitum duxit, qui tamen
 a tergo Sultani haud multum distantes
 longo ordine murorum ambitum dime-
 tiebantur, peditum copias, qui idem loci
 spatium ad latus Sultani occupabant,
 defensuri.

§. CXI.

Oppugnatio extrema Urbis Constantinopolitaneæ.

Cunctis ita dispositis, & tormentis jam-
 jam ad munimentorum cornu admo-
 tis, die vigesima nona Maji tertia diei
 hora antelucana per minus idoneos, ma-
 gisque infirmos Turcas cæpta est urbis
 oppugnatio, ut eis debellandis Christiani
 lassati, facilius a recens supervenienti-
 bus Turcarum copiis superarentur, ac hi
 super horum cadaverum strues planiore
 gressu incederent. Jam alteram horam
 prima hæc velitatio tenuit, & fossæ inter
 prima murorum septa, corporibus infeli-
 cis hujus Turcarum sæcis, quos fustibus
 &

& gladiis crudelem in modum protrudebant, fere omnes repletæ erant. Denique Mahometes Christianos certaminis laboribus fessos, fractosque existimans, classicum canere, ac tormenta explodere jubet, eos, qui muros tuebantur, disperfurus. Eodem temporis articulo milites validi, ac bello exercitatissimi terra marique urbem oppugnant, omnesque eo die sive metu sive spe, vel ipsa gloriæ cupiditate animati stupenda fortitudinis suæ specimina edunt, quorum tamen insultus Christiani haud inferiore animi robore sustinebant. Imperator ipse atque Justinianus, genuina Heroum soboles, solidas duas horas assiduo labore, tantæ animi fortitudine dimicabant, ut Turcæ omnino pedem referre cogerentur, nil proficientibus Sultani tum monitis, tum minis.

§. CXII.

Turpis Justiniani fuga.

Accurrunt itaque Janissarii cedentibus opem laturo, qui horum auxilio animati in medios ignes, sagittas, atque lapides super sciorum cadavera in acervum congesta irruunt, tandemque turres, ac muros transcendunt, nil morante hostium reprimentium robore. Primus omnium ex Janissaris unus murum superavit, ac

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. A a Tur-

Sæcul. XV.

A. C. 1453.